

Quod Euclides hic secutus est. Sed tamen de secunda parte antea Proclus monuit causam interiorum angulorum ab exteriori angulo peti non posse, quia non necessarium necessarii causa esse nullo modo possit, & nunc cum eadem quaestio revolvatur, quomodo exterior angulus causa fuerit, ut tres interiores sint æquales duobus rectis? Itaq; hic etiam Proclus idem quod antea sentit: imò (ait) secundum communes notitias veritatem propositionis hujus apparere, ut in geometria proposuimus. Proclus hic etiam conversas utriusque partis adhibet ad primam partem sic.

Si exterior angulus oppositis interioribus sit æqualis, latus unum continuè productum est. Ut patet per 14.

Secundam mutat paululúm, ut convertat hoc modo.

Si triangulum sit, est figura rectilinea trium interiorum angulorum duobus rectis æqualium. Et

Si figura rectilinea sit trium angulorum interiorum duobus rectis æqualium, est triangulum. Ut patet per 14. In quo ineptus est logicus, qui pro simplici subjecti proprietate convertit quandam subjecti definitionem. Hinc verò etiam Proclus deducit.

Tres ab eodem puncto recte in datam rectam sunt inæquales. Ut in æquicruo $a e i$ cum latera $a e$ & $a i$ sint æqualia, si recta sit $a o$ erit inæqualis utrique: secus angulus $a o e$ esset æqualis angulo $a d e$, & propterea angulo $a d i$, quo tamen per 16 p 1 est major. Hinc etiam deducuntur.

Angulus æquilateri defectus è recto & bisectus trisecat rectum. Et

Si perpendicularis in æquilatero est à vertice, desecat triangulum varium uno angulo recto, altero bese, reliquo triente recti.

Reg. 24 p 1.

Si basis recti est dupla cruris, angulus utriusque est duplus acuti reliqui. Ut in $a e i$ triangulo est basis $a e$ dupla cruris $e i$, dico angulum $a d e$ duplum anguli $a d a$. Nã si $e i$ continetur æqualiter sibi ipsi & connectatur $a o$, triangula $a e i$ & $a e o$ per 2 e 7 erunt æquilatera, & triangulum $a e o$ per se æquilaterum & per antecedentem angulus $a d e$ erit duplus anguli $a d a$. Sed tamen lubet in 32 p 1 paulo attentius commorari de tribus æquantibus duos rectos. Hanc enim propositionem Aristoteles in ore semper habet, & videtur hoc præcipuè exemplo commotus posterioris analyseos artem commentus esse ad demonstrandum affectionem propriam (ut hominis est facultas risus) de suo subjecto per causam propriam. At interiores angulos duobus rectis æquari non est proprium trianguli. Neque ab Aristotele per causam propriam concluditur. Etenim ut prius illud priore loco differatur, figura non trilatera sic institui potest, cujus interiores anguli duobus rectis æquantur, ut hic:

